VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV ILLVSTRIS DON IOANNIS PEREZ DE ALMAZAN.

SVPER REPVLSIONE IVRISFIRMÆ.

IN DEI NOMINE, Amen. Noverint vniversi, quod anno computato à nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, die verò quæ computabatur vigesima tertia mensis Maij, apud Civitatē Cæsaraugustæ, & in Camera Consilij Domini Iustitiæ Aragonū, intervenientibus in ea Illustrib' Dominis Doctoribus Bartholomeo Diez, Petro Grez, Laurentio de la Cavalleria, Ioanne Ximenez de Vera, & Hieronymo del Villar Locumtenētibus Illustrissimi Domini Don Ioannis de Lanuza, Militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, coram quibus fuit positus processus, & causa intitulatus processus Illustris Ioannis Perez de Almazan, super iurisfirma, in quo tam dictus Dominus Doctor causæ prædictæ Relator, quam cæteri Domini Locumtenentes concordes fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiari: *Iurisfirmam obtentam, & præsentatam pro parte Illustris Don Ioannis Perez de Almazan, principalis Petri Lopez Procuratoris, fore, & esse recipiendam, & admittēdam, eamque recipi, & admitti debere, non obstantibus quibusvis in contrarium allegatis, & petitis, quæ attētis contentis locum non habent, neutram partium in expensis condemnando.* EX eo potissimum, & aliàs prædicta iurisfirma recipitur, quia cum provissa, & confirmata, & obtemperata fuerit, & in ocurrenti iudicio, in quo ad repulsionem illius agitur, illud potissimum secundū regulas fori attendendum veniat,

niat, vtrum de casu manifesto non offuscato appareat, & cum in casu ocurrenti non constet de tali casu manifesto claro, & non offuscato, provt cōstare de bebat, vt prædicta iurisfirma reijcienda, & repellenda foret, necessario suo proprio tramite terminari debuit, & propter favorem dictę firmæ, & semidum naturam iudicij intentati praxim, & observantiam Regni, recipi, & admitti debuit in aliquo non refragante prædicto casu manifesto, pro parte admodum Illustrium Dominorum Diputatorum Regni ad repulsionem dictæ iurisfirmę prætēso, & allegato, licet enim daremus, quod dubio non caret, prędicta iura perceptionis Gabellarum, & Generalitatum Regni fuisse arrendata, per dictos Dominos Diputatos dicto Dō Ioanni, & præfatum Don Ioannem conductorem suscepisse suo risco, & periculo casus fortuitos guerræ, & incursus latronum, & consequenter obligatum existere ad solvendum pretiū dictæ locationis, absque eo, quod posit petere remisionē mercedis, nec vti remedio retentionis, nec aliqua alia exceptione, vel remedio quantumcū que privilegiato, vt prius solvere debeat, postea verò repetat damna per eum pretēsa, nihilominus tamē, cum ex eodem instrumento arrendationis constèr, præfatos Dominos Diputatos obligatos esse ad manutenendum dictum conductorem in pacifica possesione totius dictæ arrendationis, & perceptionis istorū iurium, & ad tollendum omne impedimentum per quod libera perceptio eorum, & liberū in Regno ingressum mertium (ex quibus prædicta iura exigere poterat) & agressum à Regno impediatur, & cum tam ex allegatis, & probatis pro parte dicti D. Ioannis, conductorisque, etiam ex probatis pro parte dictorū Dominorum Diputatorum legitimè constet, & probetur ingressum, & egressum prædictarū mertiū cessasse incursu latronum, & timore illorum, præfatosque Dominos Diputatos locatores defecisse in adimplemēto eorum quæ pro sui parte adimpleri tenebātur, & culpa illorum fuisse causatum, quo minus conductor haberet facultatem vtendi dictis iuribus sibi locatis, & cōsequenter processerit, & fuerit sustentum dictum damnū culpa,

pa, seu saltim negligentia, & omissione dictorum Dominorum Diputatorũ; cum quæ dicta exceptio ex eodem contractu resultans, & culpa, aut fato locatoris proveniens ex deffectu adimplementi, nuncque censeatur exclusa, quantumcumque conductor in se casus fortuitos susceperit, & indubitati iuris sit, quod si colonus à locatore, vel ab alio quem locator prohibere ne id faceret, poterat res conducta vti prohibeatur, tenetur locator ad totale interesse, necessario dicendũ, & concludendum est prædictum casum manifestum, pro parte dictorũ Dominorum Diputatorũ adductum satis offuscatum fuisse, vt dicta iurisfirma recipiatur, & admittatur, nec repelli potuerit; præsertim cum dictum instrumentum arrendamẽti sit actus vltro, vtique obligatorius, ex quo de sui natura casus manifestus offuscatus remanet, cum extra contẽta in instrumẽto veniant, etiam multa liquidanda per testes, & probandum sit illum qui prius vult se iubare de tali instrumento adimplevisse, ea quę ab eo adimplenda erant, quod nullatenus factum fuit pro parte dictorum Dominorũ Diputatorum, & consequenter casus manifestus, quod ex dicto actu arrendamenti resultare poterat maxime offuscatus fuit, & dicta iurisfirma recipiẽda; neque prædictis in aliquo obstat, quod præfati Domini Diputati limitatam expendendi pecunias Regni habeant facultatẽ, nec expendere possint vltra quantitatem per actus Curiarum eisdem expendere permissum, quasi nec potuerint, nec facultatẽ habuerint expellẽdi dictos latrones, & delates, sive vandoleros à Regno, & dictam vim, & impedimentum tollendi; nam ex eo, quod per Foros, & actus Curiæ est eisdẽ permissum, & tenẽtur iura prędicta Generalitatum Regni arrendare; licet etiam eisdemet permittitur expendere omnes quantitates pecuniarũ necessarias ad adimplendũ omnia illa, sine quibus talis arrendatio nõ posset subsistere, modis, & formis consuetis, & quæ per eos ex natura contractus sint adimplenda, & ab eis in actu arrendamenti promissa, & sine quibus dici non potest, conductores in libera exactione, & recuperatione iurium sibi arrendatorum per dictos Dominos Diputa-

puta-

putatos defensos fuisse, quæ cum non fecerint (licet requisiti) satis dici potest, & debet casum manifestum per dictos Dominos Diputatos prætensum, & adductum offuscatum fuisse; itaque nullo modo, dicta iurisfirma reijcienda, & repellenda foret, sed potius admittenda, & recipienda, prout fuit recepta, & admissa. Nec etiam obstat quod videatur actũ in instrumẽto arrendamenti, quod præfati Domini Diputati non tenentur de casu, & periculo guerræ, & sic nec aliorum casuum fortuitorum, & quod ratione illorum præfatus conductor, non valet petere remissionem à dictis Dominis Diputatis, vt prædictis pactionibus, & conventioribus per dictum conductorem contraventum fuisse per obtentionem dictæ iurisfirmæ dici possit, quemadmodum ex processu, & superius dictis apparet, non sumus in casu prędicto, quia dictus conductor nõ petit damna, & interesse, nec satisfactionem illius, principaliter occasione prædictorum casuum fortuitorum, sed occasione defectus adimplementi ex parte dictorum Dominorum Diputatorum, & ne via executiva privilegiatè executetur ratione prædicta, sed via ordinaria conveniatur, quæ exceptio privilegiatissima est, nec in aliqua generalitate verborum cõprehensa, nec super ea fuit expresse convectum, vt contra illa casus manifestus, non offuscatus oppositus appareat, & sic sumus in alio casu, in quo non fuit conventum in instrumento, quod propter culpam dictorum Dominorum Diputatorum non posset contra eos agi, ideo talis casus omissus haberi debet pro omisso, & remanet dispositioni iuris communis secundus quam talis exceptio, numq; censetur exclussa, propterquæ, & alias merito, & necessario prædicta iurisfirma fuit recipiẽda, & aliàs, Attent. cont. &c.

Sig†num mei Michaelis Bonifacij Serrano Civis Civitatis Cæsaraugustæ, & in ea domiciliati, authoritateque Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij Consilij Curiæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota, & motiva à libro dicti Consilij de anno in principio calendato vbi continuata existunt extraxi, comprobavi, & signavi: Constat de enmendatum vbi legitur, torem.